

ECLOGA I

ZEPHYRINUS

B_1 v.1 Frigidus intepuit Zephyris ubi mollibus aer
 2 et rediens virides, Chronidon, ver protulit herbas,
 3 Pomposiae lucos et apricae pascua Cellae
 4 liquimus et simul huc armenta reduximus ambo.
 5 Nunc placida ambiguas nobis discordia mentes
 6 distrahit, utra magis pars sit laudabilis anni,
 7 alter enim ex nobis hiemem, contrarius alter
 8 aestatem praefert neque adhuc convenimus : hanc nos,
 9 docte senex, cupimus dirimi te iudice litem.

CHRONIDON

10 Gratulor adventu, Zephyrine et Orione, vestro,
 11 quos meus absentes huc saepe vocabat Iolas.
 12 Difficile est causae, de qua contenditis ambo,
 13 iudicium ; id vero ad pastoria munera partim
 14 et partim ad durum agricolam spectare videtur.
 15 Ut potero tamen et quantum experientia rerum
 16 porriget, ex aliis et quae mihi dicta recordor,
 17 commemorans aliquid breviter neque inutile tangam.
 18 Sub patula mecum interea considite quercu,
 19 proxima dum vobis pascentes gramina tauros
 20 hic retinent ; mihi servat oves crinitus Himellas.

ORIONUS

21 grata mihi, Chronidon, sunt haec certamina, cum rem,
 22 discere quam cupio, per te cognoscere possim
 23 atque loqui tecum liceat, quem cernere coram
 24 in primis laetor, quem nostrum observat uterque.

CHRONIDON

25 Haud aliter, pueri, quam si mea Delia quondam
 26 vos peperisset, amo, quicum felix sine lite
 27 ferme annos quadraginta et bis quatuor egi.
 28 Mensis enim tantum huic summae, quam diximus, unus
 29 defuit atque omne id spatium mora parvula visum est :
 30 tantum amor atque fides potuere atque illius omni
 31 labe carens animus solersque industria cunctis
 32 in rebus nec parca nimis nec largior aequo.

ZEPHYRINUS

33 Saepe quod inter vos concordia tanta fuisset,
 34 mirantem nostrum meminere me audire Cicadam.
 35 At, tua cum nupsit tibi Delia, quae fuit aetas
 36 amborum ? Namque id se ait ignorare Cicada.

CHRONIDON

37 Altera ter quinas supra se ostenderat illi,
 38 quae mihi messis erat trigesima. Nos socer Ilus
 39 Cardellusque parens taeda junxere jugali.
 40 Illa mihi septem peperit fecunda puellas
 41 atque decem pueros, quorum de semine laetor
 42 factus avus proavusque gregem numerare nepotum,
 43 quis mihi sum visus nascentibus ipse renasci
 44 rursus et exuta mea membra novare senecta.

ORIONUS

45 Estne diu, moriens, Chronidon, quod te illa reliquit ?

CHRONIDON

46 Heu, heu bis decies jam tellus protulit herbam,
 47 ex quo morte tua tristem, carissima conjunx,
 48 liquisti Chronidona. Dies ea semper acerbi
 49 plena doloris erit, qua tu mihi, Delia, rapta es,
 50 teque sequi ac tecum requiescere protinus opto,
 51 fida tori socio atque domus custodia nostrae.
 52 Sed super his satis est, ad rem nunc ipse revertor.
 53 Quatuor esse ferunt diversa volubilis anni
 54 tempora : ver primum est, huic proxima labitur aestas,
 55 cui mox, autumnus succedit, hiemsque suprema est.
 56 Ut reor, his natura magis mirabile nullum
 57 finxit opus, proprios et habet pars quaeque labores
 58 ac proprios fructus, quod vos sic esse videtis.
 59 Ecce novi pingunt florentia rura colores,
 60 nunc folia arboribus rediere et gramina campis,
 61 nunc variis avium purissimus obstrepit aer
 62 cantibus et Zephyri blandum sonat aura tepentis.
 63 Jamque lacertosi, nudato corpore agrestes
 64 certatim curvis incidunt falcibus herbas.
 65 Per thyma, per cytisos, per origana perque comantem
 66 Thymbram atque arboreos flores roremque marinum.
 67 Ecce vagantur apes ac mellis munera fingunt.
 68 Quam juvat errantes acri comitante molosso
 69 cernere oves, lusus pastorum et carmina mille
 70 mugitusque boum saltus audire per altos,
 71 per nemora et valles, per ripas fluminis, unde
 72 aemula responset geminatis vocibus echo !
 73 Illa sed in primis pastori grata voluptas,
 74 cum satura e pastu redeunt armenta gregesque,
 75 nota, videre simul, properent ut ad agmina matrum
 76 saltantes fetus et rictibus ilia pulsant,
 77 quo vena sese lac uberiore resolvat.
 78 Aversos matres mulcent et corpora linguis
 79 fingunt atque cavent, ne quid lactentibus obsit.
 80 Id quoque jocundum visu est et quod mihi risum,

81 saepe movet, pingues elatis clunibus haedi
 82 lactea prociduis avidi cum pocula sugunt
 83 innixi genibus. Nec cessant volvere caudas,
 84 nec minus ad mulctram Pecudes lectaeque juvencae
 85 ordine quaeque suo veniunt tritoque palati
 86 summa fricat blandus pastor sale et ilia tractat,
 87 munere quo captae discant parere libenter,
 88 nec dulcem renuant palmis praebere liquorem,
 89 unde manu pressus solidum formetur in orbem
 90 caseus aut domini gratos servandus in usus,
 91 aut magnam, quotiens opus est, portandus ad urbem
 92 velleribus spoliantur oves ; hinc dicere lanam
 93 majalem agricolae veteri de more solemus.
 94 Nec longa accedet mora temporis : arva colonus,
 95 quae serat autumnno veniente, haud segnis arabit,
 96 sed saturata fimo exercere novalia saepe
 97 vomeribus prodest et inertes frangere glebas,
 98 expurgata priusquam credat semina terrae.
 99 Haec ego de multis ad rem spectantia carptim
 100 perstrinxi de vere loquens ; nunc caetera dicam.

ORIONUS

101 Dulcibus haec adeo, Chronidon suavissime, dictis
 102 pingis, ut efficiar laudator veris amoeni,
 103 ut me primus honos illi sit iudice semper.

CHRONIDON

104 Fistula si tantum auditur de pluribus una,
 105 quisquis eam reliquis praefert, non iudicat aequae.
 106 Tu quoque tris alias partes cognosce, priusquam
 107 iudicium facias de rebus, Orione, tantis.
 108 Prosequar hinc, aliis quod mensibus afferat aestas,
 109 qua nobis opus est ad nostrae commoda vitae.
 110 Primum igitur, pueri, nemo ambigit esse calorem,
 111 qui veluti crudam rerum, quas terra creavit,
 112 materiam coquat et succos maturet acerbos.
 113 At calor a rapidis, ut rentur, accipit ortum
 114 solibus et, quoniam lux tempore longior illo est,
 115 nec mitis gelidis Aquilonibus intonat aer,
 116 solem etiam plus posse putant aestate coloni.
 117 Idibus a Maiis primum incipit et, nisi fallor,
 118 ut Baptista refert quosdam cecinisse poetas,
 119 post bis terque dies Augusti desinit aestas.
 120 Tunc matura seges gravidis canescit aristis
 121 quaeque galeritus ferro secat hordea messor
 122 aestibus in mediis ; nocturno humentia rore
 123 ante diem ligat et sulcis culmata reponit.
 124 Spicarum ingentes quis non laetetur acervos
 125 compositis campo in numerum spectare manipulis ?
 126 Laetitia majore tamen, cum plena videmus
 127 horrea collecto variarum semine frugum,
 128 afficimur plenaque famem contemnimus arca.
 129 Altera se nobis etiam spes mensibus iisdem
 130 offert atque alios ducet mutata colores,
 131 inque racemosis mitescet vitibus uva.
 132 Pomorum innumeras species (ut nostis) habemus

133 nominibus distincta suis variique coloris,
 134 aestivos quorum pars tunc matura calores
 135 temperat et gratis humectat corpora succis,
 136 pars, Autumne, tuas, tibi crescit adusque, pruinas
 137 in matrum perstat ramis alimentaue sumit.
 138 Hactenus aestatem ; percurrere caetera me sol
 139 ad mare jam properans vetat et discedere suadet.
 140 Cras, ubi noster aget pecudes in pascua Sardus,
 141 huc adero et, nisi rem jocundam audire molestum
 142 ducitis, expediam, pueri, quod sentio, paucis.

ZEPHYRINUS

143 Ut libet, o Chronidon. Quis enim tibi deneget aures ?
 144 Hic quoque non minus id cupit, ut cognoscere possum.

ORIONUS

145 Immo ego nil optem magis et vix credere fas est
 146 te praeter nostris quemquam in regionibus esse,
 147 tam bene qui varias fecundi noverit anni
 148 commemorare vices et grandia dicere dona.
 149 Hic nos invenies, quacumque adveneris hora.

CHRONIDON

150 Surgite ! polliciti non immemor ipse redibo.

ECLOGA II

ORIONUS

B_2 v.1 Ecce senex Chronidon vectus per prata Gilonis
 2 calcibus et stimulo, Zephyrine, fatigat asellam
 3 atque tener matris sequitur vestigia pullus.

ZEPHYRINUS

4 Est ita. Nonne vides, concussa vastus Himellas
 5 ut virga propellat oves ? Ut sibilet, audi.
 6 Horrendo clamore vocans Poneronque Lycumque !

ORIONUS

7 Nunc hominem primum video, nam, dum ante loquebar,
 8 nondum transierat queruli vineta Cicadae.

ZEPHYRINUS

9 Cantharus a laeva pendet qui maximus illi !
 10 Utrum credis aquam an vitis redolere liquorem ?

ORIONUS

11 Extremum potius reor et, nisi tu id quoque sentis,
 12 est tibi Santonico textus de vellere amictus.
 13 At nos ecce rudens Chronidonis asella salutat
 14 descenditque senex stimuloque innititur et nos

15 aspicit. O Chronidon, venisti in tempore. Salve !

CHRONIDON

16 Vos quoque. Venissem citius, Lumbardus et Acros
 17 me tenuere diu veterem Stiliconis ad ulmum,
 18 hic me de thalamis natae dum consulit, ille
 19 de bovis affecti graviter dum plurima morbo
 20 conqueritur mecum atque aliqua petit arte mederi.
 21 Sed nos illa vocant frondosae umbracula quercus
 22 et minor est sedisse labor, quam currere fessis.

ORIONUS

23 haud secus est ; sed tu promissum perfice munus !

CHRONIDON

24 Huc me nil aliud produxit, Orione, verum,
 25 qui super his vult scire loqui, vel multa, necesse est,
 26 viderit ac longo res ipsas calleat usu
 27 vel non obtusis <saepissime> dicta retentet (vers lacuneux)
 28 sensibus ; hac ego sum, qua vos, aetate, videtis.
 29 Sed tamen et juvenes audire et discere ab illis,
 30 quae meliora puto, mihi non reor esse pudori.
 31 Quae vero ingenium agricolae superare videntur,
 32 illa mihi, nam sum jam pridem cognitus illis,
 33 ripaque castellusque solent narrare neque umquam
 34 quartisanam adeunt, quin mecum multa loquantur.
 35 At pater Autumnus, qui dura fatiget agrestum
 36 corpora, subsequitur. Quam primum aestate fugata
 37 utilis et gratus labor hic et saepe vocandus
 38 supplicibus votis hilarat ditatque colonos.
 39 Namque immaturae quicquid restabat in agris
 40 frugis adhuc, metitur tritumque in tecta refertur
 41 linaque decusso jam pridem semine et ante
 42 vel mollita Padi fluvio vel inertibus undis
 43 verberibus crebris feriunt versantque puellae
 44 et domita enervant late crepitante crotillo
 45 perfinguntque pares nulla non arte maniplos.
 46 Tonsa comas iterum tunc ponere prata jubentur
 47 longaque complentur secto fenilia cordo,
 48 quin et ab immiti gentes Aquilone remotae
 49 nudant rursus oves et ab urbibus aera reportant.
 50 Tunc quoque conficitur vindemia coctaque tandem
 51 solibus ipse legi gaudet sua munera Liber
 52 despectatque libens viridi de vertice Nysae
 53 corniferam pubem et spumantia dolia musto.
 54 Saepe mihi gratas libo dedit uva recenti
 55 consociata dapes ac regum fercula vicit.
 56 Connexis eadem filo suspensa racemis
 57 nonnumquam servatur, honos et gratia mensae,
 58 nec minus aut igni siccata aut sole reponunt
 59 vimineis calathis, puerorum obsonia, matres.
 60 Ecce vocat tellus jaciendis culta colonos
 61 seminibus ; pellenda omnis tunc pectore toto
 62 segnities ; ea cura boves hominesque fatigat,
 63 ignavos ne dura fames dehinc vexet agrestes.
 64 Interea nostras, si fas est dicere, mentes

65 impia cura tenet, sed, quamvis impia, non est
 66 aspernanda tamen rituque inducta vetusto
 67 durat et humanos multum utilis adjuvat usus.
 68 Nam quis apes mundo caelestia dona ferentes
 69 perdere et insontes crudelibus urere flammis
 70 non putet indignum nihil umquam aut parva petentes ?
 71 Nos imitanda tamen majorum exempla putemus ;
 72 protinus effractis alvearibus atque perempta
 73 pube suis pariter cum regibus atria pandunt
 74 et scrutantur opes, studium quos mellis habendi
 75 detinet avulsosque favos cellasque vacantes
 76 asportant tecti saccis capita, ora manusque,
 77 ne qua superveniens cognatae funera gentis
 78 ulciscatur apis, tantus dolor iraque laesas
 79 accendit cupiuntque mori, dum vulnera figant.
 80 Ergo omnem praedam agglomerant in vase saligno
 81 congestamque diu volvunt simul atque revolvunt
 82 fustibus et cera fragrantia mella relicta
 83 destillata cadis mox excipiuntur ahenis
 84 et, quae mixta prius fuerant, discreta recondunt.
 85 Nemo decens gratumque neget pendentia ramis
 86 cernere poma suis, quae singula dicere longum est,
 87 tot genera insurgunt, quae non ignara colendo
 88 exuere ingenium silvestre industria cogit.
 89 His igitur lectis grandis cumulamus acervos
 90 et largas imitamur opes fruiturque repostis
 91 turba domi et partim Sterutius emptor ab urbe
 92 accipit aere dato et partim largimur amicis.
 93 Divitis autumnus non enarrabilis ulli
 94 copia me longo nimium sermone teneret :
 95 instat hiems partisque suas nunc poscit, ut aequum est.

ZEPHYRINUS

96 Ne pigeat, Chronidon, paucis me audire, priusquam
 97 progrediamur : an est hyemi quoque gratia talis,
 98 debeat ut merito conferri partibus istis ?

CHRONIDON

99 Non equidem affirmo, namque altius ista requirunt
 100 iudicium magnis caeli rata legibus olim,
 101 nec, Zephyrine, nego ; teneat, quod quilibet optat,
 102 ast ego propositum nunc exsequar. Illud aquosae
 103 nos hiemis quamquam Boreali turbine caedit
 104 impulsum frigus squallentiaque asperat arva,
 105 non contemnendum tamen est, nam semina terrae
 106 credita corrumpi et parvis animalibus escam
 107 esse vetat glacieque solum durescere cogit,
 108 materna donec viridis seges exeat alvo,
 109 quam nivibus quis ali tectam neget atque foveri.
 110 At juvenum varius plerunque exercita campis
 111 membra labor docet immites contemnere ventos
 112 hibernumque gelu et stellati frigora caeli.
 113 Interdum rigida prosternitur alta securi
 114 ingentemque cadens late dat silva fragorem ;
 115 interdum evulsis radicibus aspera dumis
 116 gaesa ferunt humero et tectis virgulta reponunt

117 et modo tellurem fodiunt scrobibusque receptas
 118 humentis prohibent campo regnare paludis
 119 et modo, quo valeant saturare novalia, totis
 120 egeritur stabulis fimus et cumulatur in unum.
 121 Esse locos perhibent, vites ubi mensibus iisdem
 122 ablaqueant ferroque putant, nos remur utrumque
 123 vel melius fieri autumno, glacialia vel cum
 124 frigora desierint paulatim vere propinquo.
 125 Quod si mitis hiems erit, exercere licebit
 126 putre solum tempestivum et nonnulla colonus
 127 impiger excultis mandabit semina campis,
 128 ni situs ac regio terrae non aequa recuset.
 129 Si vero agricolam duri inclementia caeli
 130 terret et assiduos detorquet Juppiter imbres
 131 nec sinit, ut campos valeat peragrare natantis,
 132 multa domi peraget, quibus uti in tempore possit,
 133 frigida ni tardis ignavia sensibus obstet.
 134 Nec manus interea mulie**ris** sedula cessat
 135 nentque suuntque parantque cibos mensasque colonis
 136 atque olera impinguant larido gutturque suillum
 137 adjiciunt et vina cadis Dyrrachia promunt.
 138 Quos ubi cogit opus nox, linquere, grandibus ignes
 139 protinus instaurant lignis et corpora curant ;
 140 circumfusa foco puerorum garrula turba
 141 dulcibus oblectat rixis matresque virosque.
 142 His quoque temporibus mos est occidere querna
 143 glande saginatos melcaque et furfure porcos
 144 et sale conspersos in clauso ponere, donec
 145 duratos tepidi moneant abstergere soles.
 146 Delectas mulctrae juvat ad praesaepia junctas
 147 plena videre boves ; numquam mihi somnus initur,
 148 quin jubeam fieri, quicquid pecus omne requirit.
 149 Est aliud pecoris, velut istud, Orione, vestrum est
 150 assuetum nemori genus. Id neque clauditur ullis
 151 pascendum stabulis nec brumae tempora curat,
 152 nec super hoc sermo a nobis nunc ullus habetur.
 153 Sunt, qui corporibus conducere frigora nostris
 154 affirmant, quoniam siccetur inutilis humor.
 155 Dixerat haec alius certis rationibus, at me
 156 longa dies ususque docent varium omnibus atque
 157 multiplicem naturae habitum mortalibus esse
 158 nec semper cunctis conferre animantibus anni
 159 tempus idem. Haec praeter possem quae dicere, multa
 160 occurrunt, ea ni me in longum singula ducant.
 161 Sed tamen haec summa est, quae diximus omnia per se
 162 esse bona ; alterius verum pars altera partis
 163 indiget auxilio, membris e pluribus unum
 164 perfectum ut fieri queat et mirabile corpus.
 165 Nunc satis haec nobis faciant atque, omnia si non
 166 explicui, moles rerum, quae immensa petebat.
 167 Respicite ad mentem potius, quam ad verba loquentis.
 168 Inter oves interque boves nutritus et unco
 169 frugiferam solitus tellurem vertere aratro
 170 iudicium hoc aliis tanta de lite relinquo.

ZEPHYRINUS

171 Non minus his dubiis teneor sermonibus, ante
 172 quam fuerim nec, quam deceat proponere partem,
 173 sic omnes simul extollis, discernere possum.

ORIONUS

174 Haud aliter, Chronidon, mihi contigit et tibi tantum.
 175 Agricolae tribuunt merito et Pan diceris alter.

CHRONIDON

176 Si mea ludendo non aspernabile quicquam
 177 garrulitas, pueri, vobis perstringere visa est,
 178 non mihi, sed sit honos ipsis et gloria rebus
 179 maxima, quae cuivis dant argumenta loquendi.
 180 Sed pastas ad flumen oves invitat Himellae
 181 fistula. Saltantes ut eant per prata, videte !
 182 Numquam ego custodem vidi mercede paratum,
 183 tanta gregis cui sit commissi cura, neque alter
 184 majore exsequitur studio, quaecumque jubentur,
 185 sed crimen putat esse famem tolerare sitimque
 186 et, ne peccet in hoc, semper sibi consulit heros.
 187 Nunc, quo tendit iter, videamus eumque sequamur !

ZEPHYRINUS

188 Fiat, ut ipse jubes ; tu, quo nos pergere cernes,
 189 pascentes illuc agito, Peruchine, juvencos !

ECLOGA III

ALBICUS

S3 v.1 Mopsile, dic Tribalo, cum venerit, omnia recte
 2 isse mihi et nostro me verba dedisse Cicadae.
 3 Nunc ego praecedam, quo diximus. Ocius adsit ;
 4 fac, properet. Sed eum video, nisi fallor, et ad nos
 5 sibilat. Huc, Tribale, accedas, jam tempus eundi est.

TRIBALUS

6 Ecce adsum et, quid tu, nam post vineta latebam,
 7 egeris utque senem modo luseris, Albice, novi.
 8 Haud aliter decuit teque hoc ego crimine solvo.

ALBICUS

9 Quid facerem ? Totum ille diem res mille jubendo
 10 occupat et minimae spatium mihi denegat horae,
 11 sponte quod ipse mea liber componere possim.
 12 Mercedem quamvis duplicet mihi, non tamen illic
 13 altera musta bibam. Quid enim inclementius illo ?
 14 Huic me servitio penitus subducere certum est.

TRIBALUS

15 Mene putas queruli mores nescire Cicadae ?
 16 Sed tamen id vitium senibus commune videmus,
 17 ut stimulent juvenes, et ab uno discimus omnes.

ALBICUS

18 Haud ita, nam multi ignoscunt juvenilibus annis,
 19 dum res non pereat litesque et jurgia vitent.
 20 Aspice nunc, quanto Chronidon regat ordine totam
 21 Cardellinorum stirpem atque armenta domumque.
 22 Omnia sunt illi curae, sed mitis et atro
 23 felle carens juvenum a lusu non semper abhorret.
 24 Atque hic centenas hiemes totidemque peregit
 25 aestates, vidit Blancos et Portia bella
 26 et vidit quinos diverso in tempore reges
 27 Estensi de gente satos, quos nominat ipse
 28 et quam multa refert. Vetus illa et in aethera tendens
 29 populus in trivio, quam cernimus, ipsius olim
 30 parva manu posita est et jam tunc ibat in urbem
 31 et norat tractare boves et prata secare.

TRIBALUS

32 Sic perhibent, sed ver non una reducit hirundo.
 33 Quot similes illi, spectes licet omnia circum,
 34 Quartisana dabit ? Rara haec sunt munera divum.

ALBICUS

35 At quisquis feret importuni dira Cicadae
 36 taedia, sex idem poterit tolerare novercas :
 37 numquam oculis, numquam ore manuve aut mente quiescit
 38 et, ne falsa putes me fingere, si placet, audi,
 39 ut nos exagitet, numquam ista ut fabula cesset.
 40 "Quas modo partiti, pecudes, sumus, ocius", inquit,
 41 "ad Tusios, pueri, et Pinguellos ducite Gualdum ;
 42 signatas viridi Tusiis minioque rubentes
 43 tradite Pinguellis ; sed ter numerabitis ambo.
 44 Tunc Conam petite et nostrum disquirite taurum,
 45 quem Thimelina refert Dulceti armenta secutum.
 46 Inde revertentes Codream protinus ite
 47 et, quae puppe sua vexit Parolinus ab urbe,
 48 vascula ferte domum. Fellano dicite post haec,
 49 ut tripodas tandem et mensam et mantilia reddat.
 50 Sat tenuit ; septem post connubialia festa
 51 praeteriere dies et jam nova nupta pudorem
 52 obtulit ante aram et canibus jam nota mariti est.
 53 Ite citi ac reditum citius properate. Nec ulla
 54 vos mora detineat, nam multa negotia restant.
 55 Lectus erit pecori palea sternendus et illa
 56 perficienda boum circa praesaepia saepes".
 57 Plura etiam dicturus erat, me limine furtim
 58 proripui. Nunc ad Zanios properabimus ambo,
 59 namque rudes illic stuppas mea pectere Lyda
 60 dicitur ac dulci Sirenas vincere cantu.

TRIBALUS

61 Laudo equidem ; tu vero aliquid potes ire canendo,
62 albice, quale soles, Mysis et Apolline dignum.

ALBICUS

63 Sic faciam, sed nec Rosabella nec ille triumphus
64 nunc mihi carmen erit, viridis quem frondea Gipsi
65 cantat Apollineis nymphis per devia poemen.
66 Verum ego, quae mecum nuper meditata notavi
67 cortice populeo, tibi nondum cognita dicam.

TRIBALUS

68 Incipe, nil cupio magis. Ecce audire paratus
69 ipse tibi se offert discussis nubibus aer
70 et placata silent immitis murmura venti.

ALBICUS

71 Lyda, puellarum numero formosior omni,
72 Lyda, meus Titan, mea Cynthia, cujus ocellos
73 invidet astrorum purissimus ardor et aethra.
74 Esse deam quis te, mea lux, neget ? Omnia, toto,
75 cui simul arrident, quae pulchra videntur in orbe.
76 Quicquid hiat florum, tibi nascitur ipsaque veris
77 gratia mille tibi pingit per prata colores
78 atque in honore tuo gravidas canescere aristas
79 sicca sub assiduis laetatur solibus aestas.
80 Dives poma tibi autumnus largitur et uvas,
81 te deponit hiems gelidum praesente rigorem
82 atque illic Zephyris spirantibus horrida saevi
83 mitescit rabies Aquilonis et aspera cessat
84 Quam primum aspectu tumidi maris ira benigno.
85 Quodque silere libet, tenero tibi semper in ore
86 nascuntur violae atque rosae, quibus abdita furtim
87 condit apis succum, qualem non protulit Hybla.
88 At tu, dum faciles inter pulcherrima nymphas
89 ludis, in absentem numquid suspiria mittis
90 meque vocas, unam qui te tuaque omnia laudo ?
91 Haec est quarta dies, ex quo nec cernere vultus,
92 Lyda, tuos potui, nec vox ea venit ad aures,
93 gratior Heliadum foliis quae insibilat aura.
94 Tu quamvis numquam non sis formosa, tamen, cum
95 in triviis longe saltas caput ipsa choreae,
96 pulchrius esse nihil reor et tibi vinceris uni.
97 Ludere nunc video crispas ad tempora crines
98 mollibus insertos violis et suavi amarantho ;
99 nunc tuus ille mihi sese offert plenus odorum
100 mille sinus, cupidis quos naribus undique capto.
101 Verba quoque et nutus memini, quibus uris amantem.
102 Et, licet hinc absis, de te mihi plurima fingo
103 assiduusque meis versatur in ossibus ardor.
104 Haec sunt, quae potui breviter meditatus in illam,
105 quae si forte novis praeberet laudibus aures,
106 in lucem venient, quae pectore condita servo.

TRIBALUS

107 Non, ubi longa fames jejunum tempore veris

108 me stimulat, tepido cum lacte recentia tantum
109 liba juvant frustumve suis, quod flamma perussit,
110 lucida nec tantum fontanae pocula lymphae
111 grata forent calidis sitibundis faucibus aegri,
112 nec tantum Scoculae dulcis Placet humor Iacchi,
113 quantum nostra tuo mulcentur pectora cantu ;
114 nec mortale sonas, quin, si contendere tecum
115 Pan velit, et par es Calamis et versibus illi.
116 Sed jam in conspectu : domus est foribusque Galanthis
117 egreditur Lydamque tenet ridentque vicissim.
118 Nos procul agnovere manuque vocamur. Eamus !